

Michael Cobabus Hermann Philipp Muller

Disputatio Metaphysica De Necessario & Contingenti

Rostochi[i]: Richelius, 1645

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729616371>

Druck Freier  Zugang



Ru phil 1645
Michael Gobabus
Herman Philipp Müller

85-
125.

Disputatio Metaphysica
DE
NECESSARIO
&
CONTINGENTI

Quam

DEO TER. MAX. CLEMENTISSIME
ANNUENTE,

Amplissimo Senatu Philosophico consentiente
in illustri. alma Rosarum

SUB PRÆSIDIO

Viri Clarissimi & Excellentissimi

DN. M. MICHAELIS COBABI

Sternbergâ Megapolitani,

Publica ventilationi sistit & offert

HERMANN-PHILIPP MULLER,

Westph.

Respondens.

Habebitur ad diem XXV II. Septemb.

in Auditorio majori

horis matutinis.

— — —

ROSTOCHI

Literis Johannis Richelii, Sen. Typogr. 1645.

LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF
CONTINGENT

UNIVERSITY OF

Σὺν τῷ Θεῷ.

Disputatio Metaphysica,
De
NECESSARIO & CONTINGENTI.

Thesis 1.

Etsi Necessitatis & Contingentiæ usus tam latè patet, ut non tantum in Philosophia, sed etiam in Theologia abundè perspicitur; nulla tamen est disciplina, quæ de Necessario & Contingenti agit in actu signato, quàm Metaphysica. Quos enim terminos universales hæc declarat, illorum postea fit applicatio in cæteris disciplinis & facultatibus, quæ de Necessario & Contingenti &c. agunt in actu exercito: quomodo Logica dicit, quod alia propositio sit necessaria, alia Contingens: & Theologia, quod bona opera sint necessaria. Quem Necessitatis & Contingentiæ usum, cum videre B. Chemnitius, peculiare caput de Necessitatis distinctione in locis suis Theologicis consignavit. Cum igitur sit operæ pretium, ut illius affectionis, quæ Ens dicitur esse vel Necessarium vel Contingens, natura & quidditas rectè cognoscatur, proponimus præsentem disputationem de Necessario & Contingenti agentem.

II. Quod autem Necessitas & Contingentia dentur in rebus, illud patet cum ex illarum variabilitate & invariabilitate. Nam primò in propatulo est, quod multa sint necessaria in rebus atq; propositionibus: Concedendum enim est, Deum aliquem necessariò esse: aqvam necessariò humefacere; & eqvum necessariò esse animal. Secundò neminem latere potest, quod etiam multa sint Contingentia, quæ aliter atq; aliter fieri possunt. Accidit enim, ut homo plures digitos habeat, quàm quinque; contingit quoq; ut causarum connexio impediatur, & multa aliter cadant, atq; fuit intentio agentis.

III. Dicitur autem Necessarium apud *Aristot. lib. 4. Metaph. Cap. 5. 1. id. sine quo non contingit vivere. tanquam concausa*, quomodo respirare, & alimentum animali necessarium est: impossibile enim est,

est, absq; his animal esse. 2. Sine quibus bonum non contingit, aut esse, aut fieri, sive aliquid mali repellere, aut eo privari, ut bibere potionem medicatam, sive medicamento uti. 3. Violentum, quod præter intentionem & electionem obstat & prohibet. 4. Quod non contingit se aliter habere. In hæc ultimâ significatione li. i. accipitur. Dicimus igitur cum Arist. ex loco citato, quod necessarium sit, *ἡ δὲ μὴ ἐπιδεχόμενον ἄλλως ἔχειν*, quod non aliter se potest habere.

IV. Quâ definitione posita, relinquimus illas, quæ sunt Timpleri, qui lib. 2. Metaph. cap. 6. necessitatem definit, quod sit actus necessarii, quatenus est necessarium, vel qualitas, per quam ens aliter se habere non potest. Nam 1. cujuslibet rei una est definitio. 2. prior definitio peccat contra illas regulas methodi definitivæ, quâ dicitur, quod 1. omnis definitio vel descriptio debeat esse perspicua, cum hæc definitio explicatio æquæ sit obscura, ac ipsum definitum. 2. Definitum non debet ingredi definitionem. Posterior itidem est vitiosa: nam qualitas est terminus prædicamentalis, & notat actum formalem accidentalem: necessarium autem est terminus transcendentalis, & ab ente, quod est necessarium, realiter non distinguitur.

V. Dividitur Necessarium latius acceptum in Complexum & Incomplexum. Illud nihil aliud est, quàm enunciatio necessaria, quæ talis est, vel *καὶ πάντες*, vel *καὶ ἄνθρωποι*, vel *καὶ ἄλλοι πρῶτον*. Hoc est ens simplex, quatenus sese non potest aliter habere. Estq; vel Independens, quod à nulla causa dependet, ut solus Deus, qui ita existit, ut ejus essentia simpliciter & absolute sit necessaria & immutabilis. vel Dependens, quod entitatem & necessitatem suam habet ab alio, ut homo, leo, bos, sunt entia necessaria, quæ essentia suæ necessitatem habent à principio cum quo coherent, tanquam effectus cum causa: quæ si est physica, eodem modo agit, & non facile ab ordine præscripto recedit, propterea, quod illius natura ita est ordinata. Sic aqua naturaliter humefaciens non potest non humefacere, & ignis naturaliter urens non potest non urere. Dicimus naturaliter, nam per potentiam supernaturalem potest fieri, ut effectus naturalis impediatur, & ignis non urat, neq; aqua humefaciat.

VI. Secundò Necessitas est Absoluta vel Hypothetica. Illa proprie

proprie dicitur Necessitas, quia in sese & sua natura est invariabilis: Hæc est, quæ non simpliciter est immutabilis, sed duntaxat in certo ordine causarum, & propterea admixtam habet Contingentiam. Nam recte inquit Jacob. Maximi lib. 1. partit. Metaph. Sect. X. §. XVII. *Necessitas hypothetica est, quæ admixtam habet Contingentiam: ideoq; causam necessariam non habet. Sed duntaxat propter conditionem immutabiliter annexam non mutatur. Ut, qui ambulat, necessario movetur, verum causa ambulationis necessaria non est.*

VII. Huc quoq; pertinet illa distinctio; quæ Necessitas alia est Consequentis, alia Consequentia. Illa scilicet necessitas consequentis est, quæ sese habet immutabiliter, ratione antecedentis & Consequentis. ut homo est risibilis, ignis urit, aqua humefacit, sol in puncto æquinoctiali facit æquinoctium: Hæc est, quæ ex certis suppositionibus inferitur, cum consequens non sit necessarium, nisi ponatur antecedens: quomodo de Deo dicitur, quod necessario præviderit lapsum Adami. Cum enim Adami lapsus fuerit contingens & liber, propter libertatem agendi homini concessam, Dei prævisio necessaria est, non necessitate Consequentis, sed Consequentia. Sic quoq; necesse est, ut veniant scandala. Unde B. Chrysostom. super 1^o Cor XI. homil. 27. *Christus, inquit, necesse esse, ut veniant scandala: at tamen nec libertatem arbitrii his verbis tollit, neq; necessitatem aliquam & violentiam vitam imponit. Sed quod procul dubio ob pravam hominum mentem futuram erat, prædixit. Quod quidem futurum erat, non propter ipsius prædictionem: Sed propter eorum, qui curari non poterant, voluntatem: non enim quod hæc prædixerit, ideo hæc facta sunt, sed cum procul dubio futura erant, ideo prædixit. Nam si necessitatis essent scandala & non voluntatis eorum qui ea movent, superfluum esset cum dixit: *Vae homini, per quem scandala veniunt!**

VIII. De hac Necessitate dicit Philippus in explicatione Symboli Niceni: *quæ sit gradus necessitatu est mutabilem, quæ tamen necessitatis consequentia dicuntur necessaria, i. e. quæ sunt quidem re ipsa mutabilia, sed non mutantur, vel quia sic à Deo decreta sunt, vel quia sequuntur ex causis, quæ non mutantur, cum tamen mutari potuissent vel quia cum sunt, contradictorie simul vera esse non possunt. Ac magna dissimilitudo est propositionum hujus gradus: quia aliter iudicandum*

cendum est de rebus bonis, quæ sunt decreto Dei, item, volente & adjuvante Deo: aliter de rebus malis, quæ sunt sine decreto Dei, nec impellente, nec approbante. Sic necessaria est resurrectio mortuorum, quia Deus edidit de ea decretum. Sic oportet hæreses esse, quia in multis ingenijs, qui delectantur ludis novarum opinionum, magna est petulantia. Sic Saul necessario punitur, quia causas non mutat, cum posset non insidiari Davidi, & non interficere Sacerdotes. Deniq; omnia cum sunt, ideo tunc necessaria dicuntur, necessitate Consequentia, quia contradictoria non possunt simul veræ esse, ut, Plato sedet, contradictoria falsa est, plato non sedet.

IX. Necessitas respectu causarum 1. in ordine ad causam efficientem, est, quando effectus nexu indissolubili coheret cum efficiente. Sic aqua necessario humefacit, ignis necessario urit, terra necessario tendit deorsum, quia hæc omnia ita à Deo sunt condita & ordinata. 2. Ratione materiae est, quando prædicatum aliquod necessario ex conditione materiae oritur. 3. ratione formæ est Constituens & definitio, quæ res in suo esse constituitur, vel Consequens & Demonstrationis, quæ affectiones essentiam necessario insequatur. 4. ratione finis est vel Sufficientia, sine quâ res esse non potest: vel Expedientia, quæ res non tam esse, quàm bene esse dicitur.

X. Contingentia, 1. vel est Incomplexa vel Complexa. Complexa sunt enunciationes, ut Petrus currit, homo est doctus ubi notandum, quod Enuntiationum contingentia sit duplex: formalis & materialis. Illa nihil aliud est, quàm modus enunciandi Contingens. De qua contingenti agitur in lib. de Interpret, e.g. Contingit hominem ambulare: Contingit Faulum scribere: Contingit Hinricum esse doctum. Hæ propositiones sunt veræ, ratione formæ & materiae. Si verò dico: Contingit Petrum esse hominem: Contingit hominem esse rationalem: enunciationes illæ quidem ratione formæ sunt veræ, cum modus enunciandi sit verus & legitimus, non autem veræ sunt ratione materiae. De enunciationibus, quæ materialiter sunt contingentes, agitur in topicis. Incomplexa sunt res simplices.

XI. Secundò Contingens est vel in universali vel in Particulari. Hoc est, quando res, quæ sunt illius naturæ, ut fiant vel non fiant, per suam naturam fieri vel non fieri posse dicuntur, Ut homo potest

potest scribere & non scribere: quando igitur scribit, tum contingenter scribere dicitur. Illud notat conceptum Contingentiæ, non unius rei particularis; Sed generaliter acceptæ, quatenus formaliter consideratur in abstractione ultima, & opponitur necessitati, quæquam hoc facto includit necessitatem aliquam. *Necessum enim est, uti Cornelius Martini inquit pag. 166. Propter rerum hanc constitutionem & conservationem, tum propter entiatu varium gradum, esse quædam necessaria, quædam Contingentia. Non enim omne ens est immutabile & necessarium; quædam enim entia ipso actu mutantur: quædam in se habent mutandi principium, ut possint agere & non agere, mutari atq; aliter sese habere.*

XII. Ex hisce autem non est inferendum: Si Contingentia est necessaria; sequitur, illa, quæ contingenter fiunt, fieri necessario: distinguendum enim est inter Contingentiam in Universali, & Contingentiam in particulari. Quæ distinctione datâ dicendum est, nullam esse Consequentiam, quando dicitur: Si contingentia in universali est necessaria, sequitur, illa quæ contingenter fiunt, fieri necessario: nam Contingentia in universali est quidem necessaria, siquidem necessarium, uti Cornelius Martini, loco citato ostendit, est de natura entium, ut quædam sint Contingentia, quædam sint necessaria. Non autem contingentia in particulari necessaria, quippe quæ nullam admittit necessitatem, nisi fortè restringatur per certas hypotheses, suppositiones, Circumstantias, & existendi modos.

XIII. Tertiò Contingens est vel intrinsecum vel extrinsecum. Illud est ipsa voluntatis libertas, quæ quis indifferenter se habet ad agere & non agere. Atq; hæc Contingentia quoq; datur in ipso Deo, cum sit agens liberrimum & Voluntarium: Hoc est, quod à vi & causa extrinseca oritur, & agentis actionem impedit. Talis Contingentia datur in creaturarum actionibus. In Deo autem, cuius actio à nulla causa externa potest impediri, non reperitur.

XIV. Quartò Contingens est vel habile vel indeterminatum: Illud est vel secundùm naturam vel præter naturam. Contingens secundùm naturam est, quando causæ determinatæ sunt ad producendos suos effectus frequenter, & non deficiunt, nisi raro: ut quando homo nascitur decem digitis, contingens est, & fit frequenter:

Con-

Contingens præter naturam est, quod raro contingit, ut quando homo nascitur duodecim digitis. Indeterminatū est, quando causa de se nullam habet determinationem ad hunc effectum producendum, & ad unam contradictionis partem non magis quàm ad alteram inclinat. Nam effectus præexistentes in huiusmodi causa sunt futuri contingentes ad utrum libet. Sic Petrus potest scribere, Curere & non currere, sedere & non sedere.

SEQUUNTUR QUÆSTIONES.

Quæritur enim

I.

An in homine sit libertas quædam vel facultas aliqua agendi & non agendi?

Quæstionis huius magna est difficultas. cum propter opinionum diversitatem, cum propter hominū diversissimos status: nam Theologi libertatem hominū considerant secundum quædam duplicem illius statum. Nos relicto illū, quæ ex supernatur alibus mysticis jecognoſcuntur, ne in alienam provinciam impudentes videamur iruere illa duntaxat perlustrabimus, quæ recta ratio & natura colligit atq; cognoscit. Quod autem homo habeat agendi libertatem vel potentiam quædam activam, quæ ex se est indifferens ad hoc vel illud agendum requisitis omnibus positis; illud probat 1. Experientia: manifestum enim est, illum consultare de medijs, ut finem sibi præscriptum consequatur consilium mutare, leges condere, quibus vel efficiendū vel mutandū humana ratio aliquid præstare posse videatur, eligere, consilium enim nemo in illū rebū capit, quæ aliter evenire non possunt, dicit Arist. lib. 6. Eth. cap. 4.: in unam partem magis quàm in alteram declinare. ante consultationem viros prudentes & amicos eligere, qui nobiscum deliberent: In consultatione præferre facilia difficilioribus, honesta inonestū, pauciora pluribus, & licita illicitū: post consultationem rem primā occasione suscipere & expedire. 2. Potestas nam ratione utimur ut judicemus, quidnam illorum, quæ esse liberum: sunt, à nobis sit præeligendum. 3. Actionum malaram conditio: si enim illa à libertate hominū non provenirent, sequeretur illarum causam esse princi-

principium primum. Posterius autem est falsum, quia illud simpliciter, & per essentiam est bonum, & nullius mala actionis potest esse causa per se atq; per accidens. Et posterius. 4. Auctoritas Aristotelis, Ciceronis & aliorum. Arist. enim lib. 3. Eth. ostendit, quod principia Virtutis sint Consultatio & electio, ut significetur, totius moralis doctrinae fundamentum esse gendi libertatem. Et Cic. Paradoxa penult: inquit: Quid enim est liberitas? potestas vivendi ut velis. Quis igitur vivit, ut vult: nisi qui recta sequitur: qui gaudet officio: cujus vivendi via considerata atq; provisata est: qui legibus quidem non propter metum paret, sed eas sequitur atq; colit, quia id salutare maxime esse judicat: qui nihil dicit, facit, nihil cogitat deniq;, nisi libenter ac liberè: cujus omnia consilia, resque omnes quas gerit, ab ipso proficiunt, eodemque feruntur, nec est ulla res, quae plus apud eum polleat, quam ipsius voluntas atque iudicium. Cui quidem etiam, quae vim habere maximam dicitur, fortuna ipsa cedit, sicut Sapiens Poeta dixit.

Suis quisque fingitur moribus.

II.

An praescientia Dei tollat hominum libertatem & faciat, ut homo necessario operetur?

Hic 1. non distinguentum est inter rerum mortalium cognitionem imminuentem, & notitiam individuorum distinctam. illa Deo duntaxat tribuatur, haec autem ei denegatur. Omnes enim perfectiones, uti Thomas inquit, parte 1. quaest. 14. art. 11. praexistunt in Deo: agnoscere autem singularia, pertinet ad perfectionem nostram. De inde virtus activa Dei extendit sese ad singularia, utiq; ergo & Scientia. Secundo distinguentum est inter necessitatem absolutam & hypotheticam. Etsi enim illa necessario fiunt, quae Deus praescit: non tamen illa necessitas est absoluta, sed conditionalis: nam praescientia Dei non infert actionibus hominum liberam necessitatem: sic enim naturam hominum perverteret, illamque non servaret, quod neque cogitandum neque dicendum est de illo, qui per essentiam est bonus. Quae igitur ex se & sua natura sunt Contingentia & libera, illa quoque, quamvis infallibiliter a Deo praecognoscantur, contingenter & liberè fiunt. Non enim potest esse, quia Deus illa praevidet; sed quia nos liberè & contingenter illa eligimus, ipse praedestinationem nostram

B

nostram

nostram videt, tanquam rem presentem. Quod illustrari solet exemplo illius, qui videt aliquem scribere: tamen enim is, qui scribit, non necessarius scribitis propter illius visionem, à quo videtur actus scribendi; sed quia scribitis, non potest non scribere: nam omne quod est, quando est, necessarium est esse, uti dicitur lib. 1. de interp. Quæ admodum igitur propter meam vel alterius visionem scribens non necessarius scribit: sic propter visionem Dei, illa, quæ contingenter & liberè fiunt, non sunt necessaria, quippe qui in presenti omnia incurrunt: nam non more nostro, inquit August. lib. XI. de civitate Dei, cap. 21. Deus vel quod futurum est, prospicit, vel quod præsens est, aspicit, vel quod præteritum est, respicit; sed alio modo quodam à nostrarum cogitationum consuetudine longè latèq; diverso. Ille quippe non ex hoc in illud, cogitatione mutata, sed omnino incommutabiliter videt, ita, ut illa quidem, quæ temporaliter fiunt & futura nondum sunt, & præsentia jam sunt, & præterita jam non sunt: ipse verò hæc omnia stabili ac sempiterna præsentia comprehendat, nec aliter oculis, aliter mente: non enim animâ constat & corpore, nec aliter nunc & aliter antea, & aliter postea, quoniam non sicut nostra, ita & ejus quoque scientia trium temporum, præsentis videlicet & præteriti vel futuri varietate mutatur, apud quem non est mutatio, nec momenti obumbratio. Neque enim ejus intentio de cogitatione in cogitationem transiit, in cujus incorporeo contuitu, simul adsunt cuncta, quæ novit, nullis suis temporalibus motibus. *Falsa igitur est sententia stoicorum, qui libertatē naturam penitus tollunt, quando dicunt, quod anima per naturam prædita sit voluntate quadam; illa autem velimus, ad quæ per providentiam & necessitatem cogimur, adeo ut voluntas necesse sitatem sequatur.* 2. illorum, qui dicunt, Deum nil scire futurum, quod non decreverit futurum, & illius respectu omnia absolute à necessitate fieri: nam Dei præscientia non offert rebus necessitatem à priori, sed tantum à posteriori, i. e. quando Deus rem quandam videt necesse esse, am esse, non necessitate absoluta, sed ex suppositione. Quod ipsum declarat Piccolom. grad. 2. de principia virtutum, cap. 52. dicens: Respondeo; hanc esse necessitatem ex suppositione, non absolutam: quia enim hæc eras liberè præeligam, & Deus momento æternitatis supra tempus collocato eminenter differentias temporis sine successione includente, futura ut præsentia judicat. De præsentibus autem

autem dicimus: Omne quod est, quando est, necesse est esse, ut asseritur in primo de interpretatione: ideo dum consideratur ut præsens, necessitatem includit ex suppositione; Consideratum verò absolute, ut futurum, est indefinitum ac indeterminatum: videre enim res, ut præsentes, non infert necessitatem nisi ex suppositione, modo jam explicato.

III.

An detur Fatum? Aff.

Per fatum autem non intelligimus 1. astrorum constitutionem, fluctu est, cum quidq; concipitur vel nascitur, vel inchoatur. 2. naturæ necessitatem, quæ Deus dicitur omnia agere. 3. Omnium rerum actionumq; necessitatem, quam vix nulla rumpat, ut sit hæc optima lex, stare deorsum: sed causarum collectionem & dispositionem, ut est sub Deo, & sese extendit ad causarum naturalium effectus, ad quos homo suâ libertate non concurrat.

IV.

An unum principium sit necessarium, à quo omnia alia suam necessitatem habent? Aff.

Cum enim natura non admittat processum in infinitum, in aliquo principio subsistamus oportet, quod maxime est necessarium: nam quod est causa alii, ut sint talis, illud maxime erit necessarium, quod nulla ratione mutari potest. Hæc ratione solus Deus est ens necessarium, quia est independentens, principium absolute primum, & absolutissima necessitate dicitur insuper, bonus, & propterea non potest esse principium vel causa mali culpa vel peccati.



AD

autem dicimus: Omne quod est, quando est, necessatur in primo de interpretatione: ideo dum conficitur necessitatem includit ex suppositione; Consideratur ut futurum, est indefinitum ac indeterminatum: praesentes, non infert necessitatem nisi ex supposito explicato.

III.



An detur Fatum? A

Per fatum autem non intelligimus 1. astrorum curi est, cum quidq; concipitur vel nascitur, vel includit necessitatem, quā Deus dicitur omnia agere. 2. Omnium necessitatem, quam vix nulla rumpat, ut sit hac opinio: sed causarum collectionem & dispositionem, ut est scriptum ad causarum naturalium effectus, ad quos homo profertur.

IV.

An unum principium sit necessarium, à quo omnia dependent? Aff.

Cum enim natura non admittat processum à principio subsistamus oportet, quod maxime est necessaria causa alii, ut sint talis, illud maxime erit necessarium, quod mutari potest. Hac ratione solus Deus est ens necessarium, principium absolute primum, & absolute dependens, dicitur insuper, bonus, & propterea non potest dici causa mali culpe vel peccati.



the scale towards document